



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 50. Basileensis Synodi continuatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.  
A. C. 1439

nificentia tanto Principe ac animi sui celsitudine digna longe pluribus donis auxit, quam ex pacto promissa fuere. Ergo Imperator die vigesima sexta Augusti Florentia discessit, comitantibus eum tribus Cardinalibus, atque innumeris Prælatibus, qui se eidem itineris socios usque ad Reipublicæ terminos adjunxerunt. Inde sexta Septembris die Venetias abiit, ubi Græci in quadam Latinorum Ecclesia ritu solemniter sacra celebrabant mysteria, quod tamen Florentiæ ipsis denegatum erat. Venetiis aliquamdiu commorati, primum die undecima Octobris instructas conscenderunt triremes, Constantinopolim redituri, quam tamen urbem non nisi die prima Februarii anni proximi ingressi sunt.

## §. L.

*Continuatio Synodi Basileensis.*

Basileenses Synodum suam adhucdum prosequantur, consentientibus Imperatore, Galliarum Rege, aliisque Principibus, qui Concilii translationem ad urbem Ferrariensem minus gratam, ratamque habuere, nec, excepto Burgundiae Duce, Legatos suos Florentiam miserunt; nihilominus tamen Basileensium decreta adversus Eugenium condita acceptare renuerunt; immota enim ac in-

*Hist. Eccles. Tom. XXVII.*

H h vio-

**Sæcul. XV.** violabili fide eundem tanquam verum  
**A. C. 1439** ac summum Pontificem venerati sunt, ta-  
 ta tamen, ut nec Eugenio, nec Basileen-  
 sibus plene adhærerent.

*Vide sup.*

*lib. CVII. §.*  
 108. & 109.

§. LI.

*Comitia Principum Germaniæ, Moguntiæ celebrata.*

Cum ea, quæ in Norimbergensi conventu Anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo octavo conclusæ fuere, nec Eugenio Pontifici, nec Basileensibus probarentur, totius negotii decisio ad proxima Principum Germaniæ comitia Francofordiæ celebranda præhebatur. Verum cum grassantis pestilentiæ vis hunc quoque conventum præpediret, comitia non nisi hoc anno mense Martio Moguntiæ coacta fuere, ad quæ Basileenses suos quoque destinarunt Legatos, quos ampla facultate secretisque mandatis instruxerunt, dato negotio, ut ea ad effectum haud deducerent, nisi prævium Principum beneplacitum illis plenius suffragaretur. Ibidem Ludovicus Patriarcha Aquilejensis hujus Legationis Princeps a Basileensibus missus, prærogativa Legati a latere muniebatur, omnemque auctoritatem alias Legatis concessi solitam prætendebat.